

Werk

Titel: De Christo Jesu, Beneficiis Et Laudibus Eius, Aliquot Christianae reliquiae veter

Ort: Lipsiae

Jahr: 1652

Kollektion: DigiWunschbuch; VD17-Mainstream

Digitalisiert: Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen

Werk Id: PPN690003765

PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN690003765>

OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=690003765>

LOG Id: LOG_0004

LOG Titel: L. Coelii Lactantii Firmiani Carmen de Passione Domini, ...

LOG Typ: chapter

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain these Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

L. COELII LACTANTII
FIRMIANI CARMEN DE
PASSIONE DOMINI,

In quo

De beneficiis suis Christus ipse loquitur.

1 **Q**uisquis ades, mediūq; subis in limina templi,
Siste parūm, in fontemq; tuo pro crimine pas-
sum, (va!

Respice me, me conde animo, me in pectore ser-
Ille ego, qui casus hominum miseratus acerbos,

5 Huc veni, pacis promissæ interpretes, & ampla
Communis culpæ venia: hic clarissima ab alto
Reddit a lux terris, hic alma salutis imago,
Hic tibi sum requies, via recta, redemptio vera,
Vexillumq; Dei, signum & memorabile fati.

10 Te propter, vitamq; tuam sum virginis alvum
Ingressus, sum factus homo, atq; horrentia passū
Funera, nec requiem terrarum in sinibus usquā
Inveni, sed ubiq; minas, & ubiq; labores.

Horrida prima mihi in terris magalia Juda

15 Hospitia in partu, sociūq; fuere parenti:
Hic mihi fusa dedit, bruta inter inertia, primū
Arida in angustis præsepibus herba cubile.

In Phariis primos vixi regionibus annos,

Herodis regno profugus, reliquosq; reversus

20 Judæa: semper jejunia semper & ipsam

Pauperiem extremã, & rerum inferiora secutq,
Semper agens monitis humana salubribus alma
Ingenia ad studium probitatis: aperta salubri
Plurima doctrinæ jungens miracula: quare

25 Impia Hierusalem rabidis exercita curis

Invidia, & visq; odiis, & cæca furore,

Infonti est pœnis lethalibus ausa cruentam

In cruce terribili mortem mihi querere, quæ se

Latius ipse velis distinguere, sicq; per omnes

30 Ire iuuet gemitus, mecum & sentire dolores,

Collige consilia, insidiasq; meiq; nefandum

Sanguinis innocui precium, & simulata clientis

Oscula, & insultus, & sæva jurgia turba. (quas

Verbera præterea, & promptas ad crimina lin-

35 Finge animo, & testes, & cæci infanda Pilati

Judicia, ingentemq; humeros & fessa prementē

Terga crucem, atq; graves horrenda ad fune-

ra gressus.

Nunc me, nunc verò desertum, extrema secutū

Supplicia, & dulci procul à genitrice levatum,

40 Vertice ad usq; pedes me lustra: en aspice crines

Sanguine concretos, & sanguinolenta sub ipsis

Colla comis, spinisq; caput crudelibus haustum,

Undiq; diva pluens vivum super ora cruorem!

Compressos speculari oculos, & luce carentes,

45 Afflictasq; genas, arentem suspice linguam,

Felle venenatam, & pallentes funere vultus.

Cerne manus clavis fixas, tractosq; lacertos,

Atq;

Atq; ingens lateris vulnus : cerne inde fluore
 Sanguineum , fossosq; pedes , artusq; cruentos.
 50 Flecte genu , lignumq; crucis venerabile adora
 Flebilis , innocuo terramq; cruore madentem ,
 Ore petens humili , lacrymis perfunde subortis ,
 Et nunquam non devoto in corde , meosq;
 Fer monitus , sectare mea vestigia vite ,
 55 Ipsaq; supplicia inspiciens , mortemq; severam ,
 Corporis innumeros memorans animiq; dolores ,
 Discce adversa pati , & propria invigilare saluti .
 Hæc monumenta tibi si quando in mente lube-
 Volvere , si qua fides animo tibi ferre meorū (bit
 60 Debita , si pietas , & gratia digna laborum
 Surget , erunt vera stimuli virtutis , eruntq;
 Hostis in insidias clypei , quibus acer in omni
 Tutus eris , victorq; feres certamine palmam .
 Hæc monumenta tuos si labilis orbis amicos
 65 Avertent sensus , fugiente decoris ab umbra
 Mundani efficient , ne spe captatus inani
 Mobilis occiduis Fortune | fidere rebus
 Ausis , aut vitæ sperare fugacibus annis .
 Sed te nimirum sic ista caduca videntem
 70 Secula , & exutum patria melioris amore ,
 Orbis opes , rerumq; usus , & vota priorum
 Moribus extollent sacris , vitæq; beata
 Spe , duras inter pœnas , te rore fovebunt
 Cælesti , pactiq; boni dulcedine pascent .
 75 Purpuream donec , post ultima fata relicto

*Corpore, sublimes animam revocabit ad auras.
Gratia magna tibi, tunc omnem exuta laborem,
Angelicos tunc leta choros, aciesq; beatas
Sanctorum inspiciens, eterne pacis amœnâ
80 Perpetuò felix mecum regnabit in aula.*

NOTA ad hoc Carmen

LACTANTIUM,] qui (ut Comment. in Poëtas Christianos p. 77. judicavit Fabricius) sui seculi (cccxxxii.) vir eloquentissimus, multorum nobilium & Crispi Imp. Preceptor: adeò pauper fuit (ceu scribit Eusebius) ut sæpè etiam rebus indiguerit necessariis. Ejus hoc unicum carmen de Christo sua beneficia in genus humanum commemorante idem Fabricius Poëtis Christianis p. 759. addidit, cum *Hodæporicon*, quod scripserat, ad nostra non pervenisset tempora, quod ultimum dubio procul Fabricius collegit ex *Damasi Romani Pontificis ad S. Hieronymum* (quæ est 124.) epistola, cum ait: *Quæ brevia sunt, Scholasticis magis sunt apta, quàm nobis, de metris & regionum situ, & Philosophis disputantia.* Sed *Michaël Thomasius*, (qui Lactantii, quæ extant, opera omnia, cum septem Vaticanis & binis Bononiensibus Mss. codd. antiquissimis contulit, additisq; scholiis quibusdam illustravit,) hoc ipsum quidem carmen cum altero Phœnice sub finem operis adjecit, id tamen annotans, quòd illius tertii poematis (sic enim hoc ipsum vocavit, accensens primo loco carmen de Paschate, quod tamen *Venantii Fortunati* erat) de *Passione Domini*, nullum vestigium usquam invenire potuisset; in quo
tamen

tamen non multi errores reperiuntur: ita ut diligentia emendationis in eo non valdè fuerit necessaria. Ubi ad marginem annotaverat Barthius: & est tamen antiquissimum & quovis summo Vate dignum. Quare & Cardinalis Bellarminus inde scriptoribus Ecclesiasticis hoc tulit suffragium, Omnia quidem opera, exceptis carminibus sine controversia Lactantii sunt: Carmen de Phœnice Ethnici hominis esse videtur. Carmen de Resurrectione & Paschate, ut etiam de Passione ambiguum est, an Lactantii sint, quia nonnulli negant illius esse: & tamen non habemus certum argumentum, unde probetur, illius non esse. Atq; sic Barthius quoq; lib. 23. c. 2. Non est ineptum neq; absurdum carmen de Passione Domini nostri Jesu Christi, quod Lactantio olim adscribebatur, nec sine ratione: est enim grave & eruditum. Sanè quid vetet ejus esse auctoris, cui tot casti codices adscribunt, licet unus & alter contrà sentiant? Atq; idem Barthius lib. 54. c. 12. Auctor carminis de Passione Dominica, cujus rectè emendati non video, cur pudere debeat Lactantium. Lilius quoq; Gyraldus ex Hieronymo testatur, quòd Lactantius Juvenci coævus præter multa, quæ soluta oratione scripsisset & quæ passim in manibus habeantur, versus quoq; composuisset de Christi Salvatoris cruciatu & nece, & ejusdem ab inferis exultatione: item de Phœnice, quæ adhuc legantur, præterea itinerarium versu Hexametro, quod Græcè ὁδοποιον appellaverit: cujus materia fuisset digressus ex Africa usq; Nicomediam Bithynia, ubi Rhetoricam docuisset.

Edidit verò ante hoc seculum Philippus Broaldus cum aliis opusculis & hanc piam nemiam verbis Christi Domini crucifixi, sua in nos commemorantis beneficis

nesficia. ita namq; hoc carmen inscripsit, & hæc *Jod. Badii Ascensii* verba adjecit: quod hoc carmen *Lactantii Firmiani* ad excitandam pietatem &, ut dicunt, devotionem in *Jesum Christum Salvatorem nostrum* sit accommodatissimum: Commemorat enim verbis ipsius beneficia humano generi ex summa bonitate misericorditer & magnificè impensa.

V. 1. *Quamvis præoptâssem, mediq; subis in lumina templi,* splendidiorem scil. chorum ingressurus, ubi crucifixi solet esse locus, quia verò hic ipse paulò solet esse altior & qs. nova habens *lumina*, nihil duxi mutandum. Neq; tamen *Barthii* hîc placet explicatio, quod ideò *medii templi lumina* dicantur, quia in meditullio sacrarum domuum essent cathedræ, unde salutis mysteria profiterentur Sacerdotes, ut apud *Prudentium* in coronatione *Hippolyti*: licet postea fateatur, loqui hoc carmen de picta effigie Domini in aditu templi; quod potius erat in medio ejus, sicuti quoq; *Ascensius* huc annotaverat.

V. 5. *Pacis promissæ interpret.*] *Mediator Dei & hominum*, sicuti *X. Æneid. Hominum Divumq; interpret.* *Asylas* dicitur.

V. 9. *Vexillumq; Dei signum & memorabile fari.*] Ad eum quidem modum è *Michaële Thomasio* in *Bibliotheca PP.* tom. 3. p. 355. hic versus scriptus est. Ut sit ordo & sensus: *signum memorabile fari*, i. e. laudabile & dictu notabile. Mirè verò *Barthius* majuscula scribebat *Fari* seu *Pbari*, contra primæ syllabæ modulum; tale hîc signum ad salutem periclitantibus in vitæ hujus magno mari erectum esse dicitur.

Etians, qvalis aliàs effeet apud Ægyptios *Pharos*. *Beroaldus* v. & *Ascensius* atq; *Fabricius* retinuère fati i. e. mortis; qvasi singulare sit exemplum, qvòd aliquis non pro amicis modò, verum etiam pro ipsis inimicis animam suam posuerit.

Dicitur autem *vexillum Dei* & *signum* humano generi ad bene sperandum sublatum. Unde insigne imperatorium & primarium vexillum in formam crucis formatum gemmis insignivit *Constantinus*. de quo *Prudentius* i. in *Symmachum* :

*Christus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat labarum.*

Postquam scil jam antea cœlo istud monstratum & hoc vaticinium superadditum esset : **IN HOC SIGNO VINCES.**

V. 10. *Te propter vitamq, tuam.*] i. e. ob salutem tuam humanatus & incarnatus fui in virgine, qvòd primum & maximè admirabile est beneficium.

V. 14. *Horrida magalia Jude*] i. e. Bethlehemitica tuguria, frigore brumali horrentia, ubi mater laborù & paupertatis unà fuerat Christo filio socia.

V. 16. *Bruta inter inertia*] i. e. ut vulgò explicant bovem & asinum. *Prudentius* benè explicat illud Prophetæ : *Cognovit bos possessorem suum & asinus presepe Domini sui ; Israël non cognovit, populus meus non intellexit : Sed cum fidei spiritu*

Concurrat ad presepia

Pagana gens & quadrupes,

Sapiatq, quòd brutum fuit.

V. 19. Malè iterum post *Beroaldum*, *Ascensium* & *Aldum Thomasius* : *Reliquosq, reversus Judæam* :] Præterquam enim, qvòd non ita dicendum sit, *reverti*

Saxoniam aut Judæam, pro in Saxoniam vel in Judæam; præcedens insuper considerandus fuerat versiculus. Hæc enim hujus commatis mens est, quod primos vitæ suæ annos Christus exul ab Herodis regno egisset in Ægypto; reliquos verò subsequentes annos redux factus in terra patria Judaicæ regionis vixisset. Quod postea quoque vidi *Barthium* probasse loco cit.

V. 22. *Pejus iterum Thomasius & Aldus: Semper egens monitis &c.* cum tamen pariter præcedenti versu dicatur pauperiem extremam secutus, neque ullo modo sequentia deinde possint intelligi, nisi legas *agens* i. e. impellens monitis sc. salubribus, humana ingenio ad studium almæ probitatis.

V. 23. *Aperta salubri plurima doctrinæ injungens m.] Aldo & Thomasio* hîc compositum præ simplice verbo, quo alii gavisi sunt, magis placuit, improbante tamen *Barthio*. Cœperat verò Christus non modò docere & dicere, sed etiam facere, ipsis miraculosis gestis suam comprobans doctrinam, atque ideò sæpè Judæos commonens, ut nisi dictis vellent, at factis saltem crederent.

V. 25. *Impia Hierusalem*] i. e. Judaicus populus. Quamquam verò apud Christianos scriptores sæpè hoc & frequenter occurrat, ut subsequenti aspiratione prægressa vocalis non absorbeatur, attamen hic eâ excusatione haud opus est, si legatur:

Impia Jerusalem.

V. 29. *Quæ si latius ipse velim distinguere.*] id est, particulatim non tam recensere, quam benè notare omnes gemendi occasiones. Uti quidem *Ascensius*,
Bero-

Beroaldus & Thomafius, fed longè rectiùs ad pium
lectorem retulit *Fabricius*, qui hæc omnia accuratè
ipfemet debeat discernere, atq; ad eò in femetipfo
dolores quoq; Chrifti perfentifcere, fi quidem velit
paffionem Domini rectè fuam facere. Itaq; pro-
pter illa verba, *mecum sentire dolores fi juvet*, etiam
priora ita funt legenda, *quæ fi latius ipfe velis diftingue-
re*, quæ unica literula m. deceptus Barthius iocam-
hunc non tam emaculavit, quàm commaculavit,
cùm ita fcripfit: *quæ fi L. i. velim d. fig. per o. i. gemitus
mecum eſt sentire dolores*, quaſi nullus eſſet ſenſus
in illo: *mecum & ſentire dolores*. Sic autem dixiſſet:
Senties mecum enormitatem dolorum meorum, ſi
juvet ſigillatim diſtinctimq; omnes efferre. Et ta-
men haud diffitetur, quòd ſic potiùs deberet legi
mecum ſit ſentire dolores: idq; nescio quibus aliis ex-
emplis ſolæciſmorum deſenſum] ivit.

V. 31. *Collige conſilia, inſidiasq; &c.*] Hic jam in-
cipit ordine & ſeriatim quædam in paſſione ſua per-
pendenda & examinanda proponere. Ante omnia
verò ſacerdotum Hieroſolymitanorum cruenta &
inſidioſa conſilia. Ubi apud *Beroaldum* peſſimè à
typographis ſcriptum fuerat: *Inſidiisve* pro inſidi-
asq;.

Ibid.-- *meiq; nefandum Sangvinis innocui pretium*] Ubi
Beroaldus vel ſanè *Ascenſius* annotaverat: *Nefandum
pretium, quantum ad effundentes & occaſionè
dantes: acceptabile tamen erat Deo Patri & nobis ſalu-
rare ac omni obſervantia laudationeq; digniſſimum*. Ve-
rùm hic Autor non loquitur de pretioſo Chriſti ſan-
gvine, ſed de triginta argenteis, quibus à Juda clien-

te & familiari Christi ipsemet Salvator ceu victima ad sanguinem effundendum fuit venundata: Quod sequentia statim quoque verba innuunt, & *simulata clientis oscula*; idque *Barthius* putat eleganter, ut totum carmen non vulgare est, dictum.

V. 33. *Insultus, & seve jurgia turbe*] Illos quidem in captura præcipuè & deinceps; hæc verò in falsis accusationibus, subsannationibusque.

V. 34. *Verbera præterea*] i. e. colaphos & scuticarum plagas. *Ibid. Et promptas ad crimina linguas,* i. e. ad criminationes, vel etiam, ut aliquis superscripserat, ad omnes iniquitates ora paratissima.

V. 35. *Finge animo & restes.*] Falsidicos sc. contemplare. Sed *Thomasius* ac *Aldus* maluerunt: *finge animo*, semper scilicet memori.

Ibid. Et cæci infanda Pilati judicia.] Nefaria, quia cæci i. e. timore & ambitione capti. *Ascensus.*

V. 36. *Ingentemque humeros & fessa prementem*

Terga crucem.] Quia scilicet tot plagis totum corpus, præcipuè verò terga & humeri defatigati essent, ut tantæ crucis moli ferundæ vix essent.

V. 37. *Atque graves horrenda ad funera gressus.*] quomodo scilicet difficillimè ille molitus fuerit atque promoverit pedes; sub tanta sarcina, non modò furcæ, sed & totius mundi peccatorum, pro iisdem ad immania supplicia pergens, & gressus quidem accelerare coactus, tametsi subinde cum cruce ponderosissima concideret.

V. 38. *Nunc me, nunc verò desertum*] Emphasis est major in repetitione, ut apud *Virgil. Æneid. 8 Nunc ò nunc liceat crudelem abrumpere vitam. Desertum ve-*

rò eò respicit, cùm ipsemet se à Patre suo cœlesti de-
relictum, quin adeò ab omnibus quoque; amicis & co-
gnatis veluti abdicatum conqvereretur. Nam per
crucis extremum supplicium videmus illum

Ibid. *Et dulci procul à genitrice levatum.*] Vel quia
alta erat crux, vel quia, ut *Ascensus è Virgilio* quoque;
notavit, *Procul* aliquando parùm distans indicat, ut:
Serta procul, tantùm capiti delapsa jacebant.

V. 40. *Vertice ad usq; pedes me lustra.*] i. e. à sum-
mo ad imum me oculis pariter & animo intuerem.
Dehinc namq; à capillis tabo & cruore concretis
paulatim per media membra progressus in perfossis
tandem plantis infirmisq; substiruit.

V. 42. *Spinisq; caput crudelibus haustum.*] i. e.
transfossum, ut inde velut ex fonte sanguis deplue-
ret. *Virg. 2. Æneid. inimicus & hauserat ensis.*

V. 45. *Arentem suspice linguam Felle venenatam.*] i. e.
sitibundam potuq; fellis & myrrhæ mixturâ aceto-
fissimo accensam potius, quàm restinctam, & ut sic
dicamus, intoxicatam. *Barthius* maluit *venenan-*
dam, quia non accepisset Salvator præbitum fel. At
gustaverat tamen, & sic omninò quoque; jamtùm e-
rat venenata sive infecta lingua.

V. 50. *Fleete genu, lignumq; crucis venerabile adora*
Flebilis: innocuo terramq; cruore madentem,
Ore petens humili, lacrymis suffunde subortis.]

Hosce quidem ternos versiculos reliqui editores ita
posuerant, sed quia *σαυρολατρείαν* quodammodo
confirmare videbantur, ideo G. Fabricius, nescio,
num fortassis antiquum Ms. secutus, distichon exin-
de saltem proposuit, nam nisi penitus fallor, mediq;
versi-

versiculus à seqviorum seculorum monachis vide-
tur intrusus, cùm alias quàm optimè hæc invicem
cohæreant, si ita legatur:

Atq; ingens lateris vulnus cerne, inde fluorem

Sanguineum fossosq; pedes artusq; cruentos.

Flecte genu, innocuo terramq; cruore madentem

Ore petens &c. ut quia usq; ad eò largiter sanguis
non ex lateris modò vulnere, sed & pedibus, imò o-
mnibus artubus depluat, spectator Christianus se
in terram, innocentissimo illo cruore manantem,
genibus flexis demittere & humili ore lambere, i-
mò verò tam sanctum flumen miseranti oculorum
suorum diluvio perfusum, & ipse augere debeat.
Ubi sanè adoratio ligni crucis nulli ad eam rem usui
futura esset. Quare dubio procul infelix aliquis
monachus cùm illud *flecte genu* legisset, neq; additâ
crucis adorationem, quam ipse sperasset, ibidem re-
perisset, continere se non potuit, quin tomentum il-
lud & centonem suum inferciret, h. e. pannum pur-
puræ assueret, sed ne corrumpere magis, quàm cor-
ripere & corrigere textum videremur, cum ZEHNE-
RO & aliis obtrusum versiculum reliquimus, ut
LXXX. versibus constaret hoc integrum carmen.

V. 52. *Et me nunquam non devoto in corde meosq; Fer-
monitus.*] i. e. non recedat figura hæc Passionis pro
te nostræ ex mente & animo tuo unquam. *Barthius*
sic eluit mendam foedum.

V. 55. *Corporis innumeros memorans animiq; dolores,
Disce adversa pati & propria invigilare saluti.*] Fru-
ctus, quos ex consideratione & repetitione passio-
nis Dominicæ decerpere debeamus, exinde percen-
set, qui sunt potissimum morū & vitæ nostræ emen-
da-

datio & tandem alterius istius, æternæ puta repor-
tatio. V 58. & seqv. ita distingvo & lego :

— *Si quæ fides animo tibi forte meorum*

Debita si pietas, & gratia digna laborum

Surget, erunt veræ stimuli virtutis. Ut sit sensus:

quemadmodum si juverit aliquando hæc monu-
menta revolvere; ita si forsan simul animo tuo sus-
citetur fides, pietasq; debita & aliqua meorum labo-
rum digna gratia, tum illi ipsi labores & dolores mei
instar calcarium tibi erunt, quibus ad omnem virtu-
tem veram possis incitari. *Barthius* ita distinxit: *Si*
q. i. m. juvabit volvere, si quæ Fides animo tibi ferre:
meorum debita si pietas & gratia digna laborum surget.
Sed medium vericulum ita non capio, nec ille ex-
plicat.

V. 63. Sicuti versu 59. *Hæc monumenta tibi si quan-*
do mente juvabit volvere, &c. erunt tibi stimuli vir-
tutis: ita hîc pariter quasi repetitur: si hæc monu-
menta tuos sensus caduci orbis terrarum amicos à
fugitivâ mundani decoris umbra averterint, eo ipso
sanè hoc effectum reddent, ne ullis amplius fidas
fortunæ inconstantis rebus planè fugacibus, aut
spem in illas tuam ponas. Quare sic erunt distin-
gvendi versus isti:

Hæc monumenta tuos si labilis orbis amicos

Avertent sensus fugiente decoris ab umbra

Mundani, efficiant, ne spe captatus inani,

Mobilis occiduis fortuna fidere rebus

Aufis, aut vitæ sperare fugacibus annis.

Multò namq; melius erit verbum *aufis*, quàm *aufferis*,
quod planè puto depravatum. Et nostram quoq;
istam

emendationē amplexum deprehendi postea *Barthii*.

V. 68. *Sed te nimirum, sic ista caduca videntem*

Secula & exitium (patrie melioris amore),

Orbis opes, rerumq; usus & vota priorum

Moribus extollent, sacris, vitæq; beata

Spe, duras inter pœnas, te rore fovebunt

Cœlesti, prætiq; boni dulcedine pascent.

Nimis quàm intricatum hunc locum ex re ipsa evoluit sic & emaculavit *C. Barthig*, in ultimo versu ad rorem pratorum *Psal. XXIII.* allusum existimans, uti factum à *Prudentio* Hymno post *Jejun. Reddit ovili*

Reddit & prætis viridiq; campo.

Quicquid sit, in prioribus ita scriptum velim:

Sed te nil mirum, sed cuncta caduca videntem

Secula, & oblitum (patrie melioris amore)

Orbis opes, r. u. & v. p. Moribus extollent sacris,

Monumenta scil. passionis meæ. Quin & illud præ-

tiq; boni dulcedine pascent tolerari posset, propterea,

quod quavis multa mala sint patienda Christiano,

attamen quod pro illis ipsis, vi contractus divini, bona

consequi debeat, eo ipso labores suos consolatur.

V. 74. *Purpurea, donec post ultima fata, relicto*

Corpore sublimeis animam revocabit ad auras

Gratta; magna sibi tunc omnem exuta laborem.

H. e. suis opibus in nostro consortio beata, non indigens caducarum rerum auxilio. ut *Barthius* quidē

distinxit & explicavit. Sed ipse tamen ita scripserim:

Donec purpuream &c. animam revocabit ad auras Gra-

tia magna Dei, tunc omnem exuta laborem, anima scil.

inter angelorum & beatorum exercitus perpetuò felix

me cū regnabit in aula. Quare frustra sunt, *Zehner* & *a-*

lii, qui ultimo vers. maluerunt legere, *regnabis in aula.*